





41 417.
CENTURIA
THESIUM JURIDICARUM

Materiam

1629/2
JURAMENTI
CALUMNIAE
CONTINENS:
XXX

Quam

DEO OPT. MAX. ANNUENTE
Sub Præsidio

Amplissimi & Consultissimi Viri,

DN. CASPARI BITSCHII, U. J. D. EXI-
MII, IN CELEBERRIMA ARGENTORATEN-
SIUM UNIVERSITATE, CODICIS FEUDALIIUMQUE
Consuetudinum P. P. & Juridicæ Facultatis Senioris, p. t. De-
cani, Præceptoris & Patroni sui, ætatem co-
lendi amandi:

Publicæ & Solenni Disquisitioni subjicit

Ad Calendas Augusti.

In Auditorio Majori, horis consuetis.

MELCHIOR ERHARDUS Augustanus.

ARGENTORATI.

Typis WILHELMI CHRISTIANI GLASERI,
Academiæ Typographi.

ANNO M. DC. XXIX.

NOBILISSIMIS GE-
NEROSIS, STRENUIS, MA-
GNIFICIS, AMPLISSIMIS, PRU-
DENTISSIMIS DOMINIS.
D O M I N I S

DUUMVIRIS, PRÆFECTIS, SE-
PTEMVIRIS, CONSULIBUS, TOTIQUE
ORDINI SENATORIO, INCLYTÆ SA-
cri Romani Germanici Imperii, Urbis
AUGUSTÆ, Patrib. Patriæ,

*Dominis suis Observantiã debitã ac humilimã per-
petuò colendis.*

S.



Agellis hisce, tenero meorum studio-
rum foctui, ut faveatis, PATRES PA-
TRIÆ, facilè exorari poteritis; Ne-
mo enim Vestrum erga Literarum studia pro-
pensum ignorat animum; Neminem latet,
quantum in Augustissima Vestra AUGUSTA,
totius Europæ bono, Musis sit regnum, quæ
duplici quoq; nomine Vobis devinctæ sunt;
nam præterquam quòd Vestra Liberalitate,
Curâ, Hortatu ibi pulcherrimè vigent; earum
quoq; sectatores amatis, honore afficitis, pro-
moveris: Quod si quis neget, eum in summa
maximarum rerum ignoratione versari ne-
cesse est, nam contempletur saltem Instructif-

):(2

simam Vestram, totóque orbe celeberrimam
 Bibliothecam, Illustria perlustret Gymnasia,
 & maximos Vos studiorum Patronos, haud
 invidiosâ confessione affirmabit. Musas ita-
 que quia amavistis, meritò Vos rursus a-
 mant, gaudentque Amplissimum Vestrum sæ-
 pius subire conspectum. Hinc multa haec-
 nus præclara munera, non quidem auro vel
 argento conspicua, sed quæ vel hæc preciosis-
 sima superant, chartacea Vobis oblata sunt ab
 iis, quorum supellex est chartea, quæ (novi)
 miro favore estis amplexi. Quapropter &
 hoc quod à Tirone Cliente Vestro præstatur,
 benignè, ut soletis à cæteris, recipite, conatum
 hunc meum imbecillum licet, at mihi certè
 non planè inutilem fovete, & clienti Vestro
 favete; Nam & Diis lacte rustici multæq; gen-
 tes supplicat, & mola tantum salsa litant qui
 thura non habent. Valete PROCERES, & Vivi-
 te diutissimè, felicissimè Patriæ, Cæsari, Ve-
 stris, Mihi. Dabam Argentorati, III. Cal. Au-
 gusti. M. DC. XXIX.

Illustris Magnif. & Amplitud. Vestra

addictissimus & devotissimus Client.

MELCHIOR ERHARDUS
 Auctor & Resp.






AD PRÆSTANTISSIMUM ET
ERUDITISSIMUM Dn. RESPON-
dentem Amicum suum è multis
dilectissimum.

Novi, (*nec veteris me oblivio cepit amoris*)
Quis tempus verbis omne fefellerimus
Quando nos tenuit quondam commune salinum
Quâ colit ALTDORFUM Norica arena suum :
Novi colloquium quò ceu sale sparsimus escas :
Iamq̃, olim de te tale mihi omen erat :
Hic etiam decus est Themidos prælustre futurum,
Jamq̃, ut ego minimè fallar, ER HARDE, facis.
Apprecor Euge ; DEUS te digno mactet honore,
Quò tendam nosti : tinnit auricula.

F.

M. JOH. CONRAD. DANNHAWER
P.L. Cæs. & Prof. Eloq. P.





IN NOMINE DO-
MINI NOSTRI JESU
CHRISTI.

DISPUTATIONIS

de

JURAMENTO CALUMNIÆ

Thesis Prima.



T omnium, qui iudicio intersunt, animi tantò
majore religione devinciantur & admonean-
tur, ne quid fraudis falsitatisue committant;
ab omnibus aliquod exigitur Jusjurandum.
Nam & Judex jurare jubetur in *l. 14. in pr. C. de judic.* & Ad-
vocati sive Patroni causarum utriusq; partis *d. l. 14. §. 1. C.*
de judic. & testes. *l. 9. & 18. C. de testib.* Maximè autem liti-
gantes jurare de Calumnia coguntur. Quo de juramento,
utpote in usu fori frequentissimo & utilissimo, συζήτησιν
hanc præsentem instituere, operæ pretium duxi.

II. Ut autem ordine progrediar, priùs ὀνομασολογίαν, quæ
in Etymologiâ, Homonymiâ, & Synonymiâ explicandâ
consistit; deinde etiam πραγμασολογίαν considerabo.

III. Calumnia dicta est ab antiquo Calvo, Calvis, vel
calvor, calvitur, quod frustrari, decipere, morari in lege 12.
Tabul. significabat *l. 233. ff. de V. S.* Hinc Calumnia Cice-
roni *lib. 2. de Rep. & 1. offic.* omnem versutiam & malitiam,
in alterius incommodum usurpatam denotat.

IV. Quamvis autem in Jure nostro variæ verbi Calum-

A

niæ reperiantur significationes, quas videre licet apud Obrechtum *in tract. de Juram. Cal. c. 1. n. 15. cum seq. Wesenbec. in π. C. de Jurejur. propt. Cal. dand. in pr.* Iistamen impræfentiarum non attentis, dico Calumniam hîc nihil aliud esse, quàm malitiosam Judicii susceptionem; ut Calumniam admittere videatur, quisquis dolo malo vel actionem injustam intentat, vel rectè intentatam oppugnat. *l. 1. §. 1. ff. ad Senatusconsultum Turpill. Azo in summa Cod. de jurejur. pr opt. Cal. dand.*

V. Synonymia elucet ex eo, quòd hoc juramentum in Jure nostro modò Jusjurandum de Calumnia: *l. 8. §. 5. ff. qui satisd. cog.* modò Juramentum Calumniæ, seu de Calumnia: *l. 1. in pr. C. hoc tit.* modò Sacramentum Calumniæ: *Novell. 49. c. 3. tot. tit. Ext. de Jur. Cal. & passim in Jure Pontificio,* vocatur. Vulgò dicitur Jusjurandum Credulitatis. Bart. & alii *ad l. 2. §. quod observari. C. h. t. Mynsing. ad Inst. tit. de pæn. tem. litig. §. 1. n. 12.* Germanicè *der Eyd für Gefährde.*

VI. Cognitis & præmissis ijs, quæ ad ὀνομασιολογίαν faciunt, sine quibus nemo res intelligit, ut tradit Obrecht. *in tract. de Jurisdic. lib. 1. c. 1. n. 2.* accedo ad πραγμασιολογίαν, in quâ consideranda veniunt Definitio, Divisio, Causæ, Effectus, Adfinia & Contraria, de quibus ordine.

VII. Brevis illa Definitio, quam tradit Ilico Ummius *in Proceß. Judic. D. 12. th. 8. n. 30.* naturam Juramenti hujus dilucidè satis ostendit, dum definit, quod sit JURAMENTUM A LITIGANTIBUS SUPER CAUSA, BONA FIDE SUSCEPTA, ET DEINCEPS PROSEQUENDA PRÆSTANDUM. *l. 1. in pr. l. 2. in pr. vers. sed actor quidē. & §. 2. C. h. t. §. 1. Inst. de pæn. tem. litig. Nov. 49. c. ult. Nov. 124. c. 1.*

VIII. Distribuitur Juramentum Calumniæ in Generale & Speciale. Colleg. Jur. Arg. *lib. 3. tit. 6. n. 18.* illud quod est, quod ab initio litis contestatæ de totâ causâ præstat, & ad omnes actus sequentes dirigitur, *l. 2. in pr. C. h. t. Obrecht. in d. tract. de juram. Cal. c. 2. n. 8.*

IX. Spe-

IX. Speciale verò est, quod tam in iudicio, quam extra illud, in singulis Iudicii partibus, aliisque in causis præstatur. not. Bart. in d. l. 2. n. 17. C. h. t. Obrecht. d. tract. c. 2. n. 3. & seq.

X. Utramque speciem Jure Canonico receptam & approbatam esse, manifestè constat ex c. 1. in pr. de juram. Cal. in 6. ubi Bonifacius VIII. Si de Calumnia, ait, seu de Veritate dicendâ in primo liti exordio non juretur, ut debet, poterit postmodum in qualibet parte liti jurari. Est tamen hæc circa speciale Juramentum inter Jus Civile & Canonicum differentia : quòd illud Jure Civili tam in Iudicio, quam extra iudicium, non in singulis tantum liti partibus, seu Iudicii actibus, sed etiam in omnibus aliis causis admittatur : Jure verò Canonico in qualibet tantum liti parte præstetur, quod notat Obrecht. allegato in loco.

XI. De Origine Juramenti Calumniæ diversorum diversæ sunt opiniones. Quidam enim originem ejus Juri Divino adscribunt, & id ipsum probare conantur ex Exod. c. 22. v. 11. in quorum numero est Bart. in Extravag. ad reprimendum. in verb. & figura Judicij. n. 11. Menoch. de arbitr. Jud. lib. 1. q. 20. n. 2. Asin. in Prax. Florent. §. 3. c. 30. n. 2. Alii ab Atheniensium Repub. Juramentum hoc acceptum esse contendunt, Wesenb. in parat. C. de jurejur. propt. Cal. ubi Juramentum, quod Actor præstabat, *Διωμοσίαν*, Rei verò *ἀνλωμοσίαν* olim appellatum fuisse tradit.

XII. Nos verò tutiori inhærentes viæ, Juri Civili originem hujus Juramenti adscribimus, quippe quod ab Imperatore nostro inventum sit & auctum. Quanquam enim non negemus, aliis quoque gentibus hoc Juramentum cognitum vel etiam receptum fuisse, siquidem ejus vestigia extant in l. 44. §. 4. ff. famil. hercis. non tamen propterea statim Juris Genium esse sequitur, non enim uno modo, eademque formâ Gentes illæ hoc Juramento usæ fuerunt, quâ nos utimur. Quæ forma cum ei à Justiniano demum indita sit, ut constat ex l. 1. l. 2. C. h. t. Nov. 49. c. ult. meritò hujus juramenti autorem sese gloriatur in d. l. 2. §. 8. in fin. cum res

3

7

29



non nisi per formam suam sit talis. Cæterùm & aliàs Imperator profiteretur, se, quæcunque approbavit vel illustriora reddidit, sua fecisse §. *sed neq.* de concept. Digest. & l. 1. §. *omnia enim nostra facimus.* C. de Vet. Jur. enucl.

XIII. *Καυαλαγωγία*, est petitio sive exactio Partis: nec enim Judex litiganti Calumniæ Juramentum defert, nisi à parte sit exactum, per text. express. in l. 5. §. *qui opus* 14. ff. de oper. nov. nunciat.

XIV. Exigere autem hoc Juramentum possunt omnes tam Actores, quam Rei, dummodò eis in Judicio agere vel excipere permissum sit. Agunt autem vel excipiunt quidam proprio, quidam alieno nomine.

XV. Proprio nomine agere vel excipere possunt omnes, qui non prohibentur: arg. l. 12. §. 1. ff. de judic. Prohibiti autem reperiuntur alii Naturâ, alii Lege.

XVI. Naturâ agere vel excipere non possunt, qui carent *προαίρεσι* & intellectu: quales sunt infantes: hi enim neq; cum neq; sine tutoris autoritate quidquam in Judicio agere, velut omni ferè judicio destituti, adeòq; nec Calumniæ Juramentum præstare possunt d. l. 2. §. 2. in pr. C. h. t.

XVII. Item mente capti & furiosi, quippe ratione destituti nihil eorum intelligentes, quæ in Judicio expedienda occurrunt: Quibus annumeramus mutum & surdum; qui scilicet naturâ talis est: diversam enim obtinet in eo, qui naturâ vel casu est mutus, vel qui naturâ est surdus, vel qui casu mutus & surdus simul. Obrecht. d. tract. c. 4. n. 9.

XVIII. Lege agere vel excipere suo nomine prohibentur. I. Impuberes: hi enim in judicio stare non possunt l. 1. l. 2. C. qui legit. Pers. stand. in Jud. hab. Wesenb. in parat. C. eod. eorum tamen nomine juramentum Calumniæ rectè exigunt tutores. l. 2. §. *quod observari.* C. h. tit. Colleg. Jur. Arg. de Calum. lib. 3. tit. 6. n. 20. Si tamen septimum ætatis suæ annum exceßerunt, quidam illos exigere hoc juramentū posse existimant, propter text. in l. 1. §. 2. ff. de admin. & peric. Tut.

XIX. II. Minores 25. annis: hi enim itidem legitimam
Perfor

Personam standi in iudicio, sine Curatore suo non habent. *d. l. 2. C. qui legit. Pers. stand.* illorum tamen nomine Curatores exigere hoc iuramentum possunt.

XX. III. Prodigus, quia similiter in Iudicio versari non potest, cum furioso non sit absimilis *l. 7. §. 12. ff. quib. ex caus. in poss. eat. l. 1. c. de Curat. fur.* Everhard. *in Top. loc. 73.* Sicut enim hic desipit animo; ita ille moribus: dum teste Ulpiano, neq; tempus, neq; finem expensarum habet: sed sua dissipando & dilapidando profundit, *l. 1. ff. de Curat. Fur.* propterea enim ei Curator datur, qui negotia eius administrat, *d. l. 1. Dn. Ungepaur, Præceptor meus honorandus, Exerc. Just. 4. quæst. 11.* & consequenter etiam pro eo in Iudicio compareat, atq; iuramentum Calumniæ exigat.

XXI. Quod tamen in Prodigio autoritate publicâ declarato tantum procedit: priusquam enim bonis ipsi interdicator, vel, quod in antiquæ interdictionis locum successit, Curator ei detur, ipsum rectè litigare citra Nullitatis vitium, ait Vantius *de Nullit. ex defect. habil. n. 23.*

XXII. Tandem neq; servi suo nomine Calumniæ Iuramentum exigere possunt, cum ipsis agendi, excipiendiq; facultas legibus sit adempta; per ea, quæ tradit Obrecht. *d. tract. n. 20, 23. & seqq.* & hæc de iis, qui suo nomine in Iudicio agere vel excipere, & sic etiam Iuramentum Calumniæ exigere Naturâ vel Lege prohibentur.

XXIII. Alieno nomine qui agunt vel excipiunt, & consequenter Calumniæ Iuramentum exigunt, sunt vel in potestate aliorum, vel sui Juris. In potestate aliorum sunt Servi & Filii familiâs.

XXIV. Quamvis enim Servi regulariter neq; suo, neq; alieno nomine Iuramentum hoc exigere possint, ideò quia ad litigandum non sunt idonei, utpote Personam non habentes: *l. 4. C. de obseq. Patron. præst.* Quidam tamen in iure casus reperiuntur, quibus olim agere vel excipere illis permissum fuit; qui notantur *in l. 53. ff. de iudic. l. 113. §. si quis post tempus. ff. de Legat. 1. l. 17. ff. de alim. & cib. leg. l. 1. C. si per vim vel*

alio modo &c. Quibus in causis cum idoneam personam, quæ in Judicio versari possit, habeant, consequens est, ut in iisdem etiam Calumniæ Juramentum rectè exigere possint.

XXV. Hodiè verò, cum antiqua Servitus apud Germanos in usu esse desierit, nostros servos, qui ministri & famuli rectè dicuntur, Juramentum Calumniæ, Dominorum loco rectè exigere posse, notat Obrecht. *d. tract. c. 4. n. 25.*

XXVI. De filiis familiæ etiam licet idem quod de Servis asserendum sit, cum nec hi legitimam Personam standi in judicio habeant. *l. 1. C. qui legit. Pers. stand. &c.* Rursum tamen quædam excipiuntur causæ, in quibus alieno etiam nomine Juramentum Calumniæ rectè exigunt: quales sunt, quæ Patre absente quæsitæ sunt, *l. 18. §. 1. ff. de judic.* item si Pater ob furorem vel dementiam absentis loco habetur, *l. 18. §. 21. & 22. ff. de injur.* In his enim causis cum filius familiæ pro Patre utiliter convenire alios possit, *d. l. 18. §. 1. & d. l. 17. Donell. 17. Comm. 4. Scipio Gentil. de bon. Mat. c. 26. p. 175.* rectè etiam ab iisdem nomine Patris Calumniæ Juramentum exiget: hoc enim utilitatis ratio suadere videtur, *d. l. 18.*

XXVII. Ex iis, qui sui Juris sunt, quidam publicæ, quidam privatæ autoritate res alienas administrant. Publicæ autoritate id faciunt Patres, Tutores, Curatores & Rerum pub. Administratores.

XXVIII. Pater in peculio Adventitio filii fam. rectè agere & excipere, & si etiam Juramentum Calumniæ exigere potest; quia hisce in bonis legitimus est administrator, *l. ult. §. 3. C. de bon. qua lib. Specul. de juram. Calum. §. 3. n. 5.* modò consensum filii fam. adhibeat, *d. l. ult.* Diversum autem obtinet in bonis Castrensibus, & quasi Castrensibus: in his enim cum filius fam. pro Patre fam. habeatur. *l. 2. ad Sc. Maced. l. 4. ff. de judic. & tot. tit. ff. de Castrens. pecul.* rectè etiam suo nomine Juramentum hoc exiget. Quod itidem de omnibus causis aliis asserendum est, in quibus Pater nullum

nullum jus, nullamq; administrationem habet. *l. pen. C. de bon. qua lib. Novell. 117. inpr. Obrecht. alleg. loc. n. 31.*

XXIX. Tutores & Curatores, Pupillorum & Minorum nomine Juramentum Calumniæ rectè exigunt; cum & illorum nomine in Judicio agant & excipiant, eorumq; res administrant, *l. 16. C. de administr. Tut. l. 2. §. quod observari. C. h. t.* Nec est, quod dicatur, Tutores & Curatores Personis saltem dari, non verò rei. *§. Certa. 4. Inst. qui testament. Tut. &c.* Personis enim principaliter quidem dati, per consequentiam tamen res etiam pupillorum minorumq; administrare debent. *tot. tit. C. de admin. Tut.* ad quam administrationem omninò etiam pertinet hoc, ut **Causas Pupillorum in judicio tractent.** *l. 11. C. d. tit.*

XXX. Idem quoq; de **Rerumpub. Administratoribus** affirmamus, per *d. l. 2. §. hoc etiam. s. in fin. C. h. t. Wesenb. in parat. C. eod. n. 6.* Hi enim ideò constituuntur, ut **Civitarum causas gerant:** *tot. tit. ff. quod cujusq; Univers. nom.* ex quo certum est, eos **Juramentū Calumniæ quoq; rectè exigere.**

XXXI. **Privatâ autoritate alienas res administrant,** & ob id **Calumniæ Juramentum rectè exigunt Procuratores,** *d. l. 2. §. sin autem. C. h. t.* quibus enim in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria Procuratorum fides supponitur, ut Cicero loquitur in *orat. pro Sext. Rosc.*

XXXII. Et hæc de iis, qui Juramentum exigere vel non exigere possunt: proximum nunc est, ut de iis quoq; à quibus illud ipsum exigi possit, dispiciamus.

XXXIII. Exigi autem potest ab illis, qui in Judicio vel suo vel alieno nomine experiri possunt. Suo autem nomine experiuntur personæ Principales, **Actor & Reus** *d. l. 2. §. sed quia. in fin. C. h. t. §. 1. Inst. de pæn. tem. litig.* ubi tamen notandum, quòd juramentum hoc ad Reum devolvatur tùm demùm, cum Actor jam priùs juravit. *d. l. 2. in pr. §. sed quia. in fin. §. quod si Actor. C. h. t.*

XXXIV. Nihil autem refert, quis agat aut excipiat, **sive sit Universitas, sive Municipium,** nam & hæc per se de **Calu;**

Calumnia jurare debent, *text. est in c. 4. & c. ult. ext. de juram. Cal.* Quia tamen vel nimis difficile hoc erat, vel prorsus impossibile, constituit Imperator Justinianus in *d. l. 2. §. hoc etiam. s. C. h. t.* (quo deest etiam textus in *l. 14. ff. ad Municip. item in l. 97. ff. de condit. & demonstr.*) ut major pars, aut magis idonea jusjurandum de Calumnia præstet. *Specul. de Juram. Cal. §. 3. n. 9. Wefenb. in parat. C. h. t. n. 6. Rittershus. de Differ. Jur. Civil. & Can. lib. 5. c. 18. Obrecht. d. tract. c. 5. n. 7. Ummius in Process. Jud. D. 12. n. 32.*

XXXV. De heredibus Principalium quæritur; An & illi Calumniæ juramentum subire teneantur? Quod affirmamus per text. in *auth. Principalis. ubi Gl. in verbo. migravit. & Sichard. n. 2. C. h. t. Specul. de Juram. Cal. §. 2. n. 7. Wefenbec. Cons. 13. n. 13. facit l. 13. §. 12. ff. de damn. infect.*

XXXVI. Estq; hîc in genere notandum: omnes Litigatores, qui suo nomine agunt vel excipiunt, ad subeundum Calumniæ Juramentum obstrictos esse, nisi vel prohibeantur, vel ab ejus præstatione specialiter sint immunes. Prohibentur autem quidam Naturâ, quidam Lege.

XXXVII. Naturâ prohibentur infantes, mente capti, furiosi, muti & surdi, propter rationes supra allatas.

XXXVIII. Lege verò prohibentur Minores 25. annorum, & Prodigii, quia per se non possunt litem instituire, aut actus judiciales exercere: ut itidem pluribus supra probatum.

XXXIX. Exempti sunt à præstatione hujus juramenti Primò Clerici: qui invitati in nullâ causâ jurare tenentur. *l. 25. C. de Episc. & Cleric. c. 1. ext. de Juram. Cal. Noviss. Cujac. Novell. 49. in fin.* Si tamen ultrò jurare velint, utiq; hoc iis permittitur, veniâ à superiore priùs impetratâ, *d. c. 1.* A quo tamen recessum hodiè esse, ex *c. 5. & c. ult. ext. eod.* ostendunt *Obrecht. d. tract. c. 5. n. 16. Ummius in Process. Jud. D. 12. n. 34.* ubi tradunt, invaluisse hodiè, ut non minùs ab Ecclesiasticis Personis, quàm à Laicis Calumniæ Juramentum exigì possit: ita tamen, ut hoc per alios præstare, illis

423
illis non sit prohibitum, c. in pertractandis. 3. ext. eod. Ritters-
hus. de Differ. Jur. Civ. & Can. lib. 5. c. 18.

XL. Secundò exempti sunt Parentes & Patroni in cau-
sis, quas cum liberis & libertis habent, vel potiùs in his cau-
sis à liberis & libertis, iis hoc juramentum non rectè defer-
tur, per text. express. in l. 8. §. 5. ff. quis satisd. cog. l. 16. ff. de
Jurejur. l. 13. §. 14. ff. de damn. infect. Colleg. Jur. Arg. lib. 3. tit.
6. n. 22. Nec enim honor & Reverentia, quam liberi pa-
rentibus & liberti Patronis debent, admittit, ut iidem in
Calumniæ suspicionem vocentur, l. 7. §. 3. ff. de obseq. parent.
& c. Duaren. ad tit. de jurejur. c. 4. Cujac. 4. Feud. 36. Donell.
de jurejur. c. 13. n. 2. Obrecht. d. tract. c. 6. n. 17. & seqq. Nec mo-
vet textus in l. jusjurandum. 34. §. qui jusjurandum. ff. de jurejur.
Ad eum enim non cum Cujacio Lektionis correctionem,
quæ quantum fieri potest, evitanda est, adhibemus, sed
cum Colleg. Jur. Arg. dicimus, verbum remitti in d. l. 34.
accipi pro referrì, quæ istius verbi vis etiam alibi occurrit.
Colleg. Arg. lib. 3. tit. 6. th. 22.

XL I. Tertio Dominus & Vasallus invicem hoc jura-
mentum exigere non possunt. 2. F. c. 33. §. in quibus & ibi Dd.
comm. Græv. concl. 84. n. 12. idq; propter arctissimum, quo in-
vicem obligati sunt, vinculum, & summum honorem,
quem utrinq; sibi mutuo debent. Ummius d. Disp. 12. n. 36.
Quod tamen ad Vasallum injuratum extendi non debet.
Borchold. de F. c. 10. n. 40.

XL II. Alieno nomine in Judicio experiuntur Calum-
niæq; juramentum præstant. Primò, Pater in iis casibus in
quibus filii fam. causam agit: veluti ob peculium Adventi-
tium, in quo Pater est legitimus Administrator. l. 6. §. sin au-
tem. cum seqq. C. de bon. qua. liber. Specul. de Juram. Cal. §. 3. in pr.
Neq; etiam refert, quot annorum sit filius fam. etsi enim
quingenta annos natus sit, nihilominus tamen à Patre
Calumniæ Juramentum præstari, notat Sichard. in l. 2. §. 2.
n. 5. cum seqq. C. h. t. Obrecht. d. tract. c. 6. n. 2. cum seqq.

XL III. Secundò Filius familiæ in illis causis, in quibus

B

251
nomine Patris contra Extraneum agit vel excipit, *l. 18. §. 1. ff. de judic.* Si verò contra ipsum Patrem agat, quidam putant Juramentum hoc illi remitti : magis tamen est, ut dicamus, illum ne quidem hoc in casu à præstatione juramenti hujus immunem esse, quanquam à Patre, illud exigere non possit; ut modò *in th. 40.* ostensum est: (quod etiam de liberto dicendum: Jason *in l. 34. §. 4. n. 4.* Donell. *de jurejur. c. 13. n. 3.* Obrecht. *d. c. 6. n. 6. cum seq.*) tum quia nullus textus reperitur, ex quo appareat, liberis & libertis hoc Juramentum remitti: tum quia ratio, quæ Patrem & Patrum exemit, in liberis & libertis cessat,

XLIV. Tutores & Curatores, cum res Pupillorum & Minorum administrant, causasq; eorum sciunt, & ita ad judicium perveniant, Calumniæ Juramentum exigentibus præstare, non ambigitur; eò quod ex animi sui sententia jurent. *d. l. 2. §. quod observari. C. h. t.* Gothofr. *in l. 13. §. 14. ff. de damn. infect.*

XLV. Deniq; de Procuratoribus notandum est, illos quidem Jure Civili, Calumniæ juramentum neutiquam præstare posse: iniquum enim videbatur, de alieno factò alium jurare. *l. 11. §. 2. ff. de Action. rer. amot.* quare aliàs constitutum est ab Imperatore nostro, ut tantum principales litigantes illud præstent: *d. l. 2. in pr. & §. 1.* Contrarium tamen Jure Canonico receptum esse, nec non hodiernâ consuetudine invaluisse, patet *ex c. 6. ext. de Juram. Cal. c. 2. §. 1. eod. in 6.* Bart. *in d. l. 2. §. 1. C. h. t.* & notat Gail. *1. obs. 83. n. 1.* quotidie hujusmodi juramenta per Procuratores in Domini animam in Camera præstari: & id quidem optimâ ratione, quia scilicet non solum litis contestatione Procurator fit Dominus: *l. 11. C. de Procurat.* sed & quia plerumq; Procuratores melius norunt calumniari, quam ipsi Principales, ut, nisi coërceantur, causas etiam pessimas defendant; quam rationem assignat Schneid. *ad tit. Inst. de pæn. tem. litig. ubi. n. 6.* de Juramento Calumniæ tractat ex professo.

XLVI. Ad eò autem Procurator hodiè de Calumniâ jurare

474.
rare tenetur: ut eum non releuet, quod antea vovit se non juraturum; vel quod ipse Dominus ante Calumniæ Juramentum præstiterit; vel etiam quod ipse Dominus de Calumnia jurare non cogatur: ut pluribus notat Anton. del Re Tiburt. *in tract. Juram. Cal. c. 16. n. 46. 47. & 48.*

XLVII. Quod tamen in eodem procuratore procedit, qui speciale mandatum, in quo expressa hujus juramenti præstandi facta mentio est, accepit, *der ein besondern gwalt vnd befelch diesen Aid zuleisten / empfangen hat*; secundum Gail. *alleg. in loco. n. 2.* Quare generale mandatum cum libera ad facultatem jurandi de Calumnia tribuendam sufficiens esse non creditur: ut cunq; aliàs tantæ dicatur energiæ, quantæ est mandatum speciale in iis casibus, qui speciale requirunt. Bald. *in l. si Procurator. in med. C. de Procur. Vasquius Contr. lib. 2. c. 25. n. 17. cum seqq. Græv. concl. Pract. p. 1. concl. 83. n. 4.* causas tamen de quibus jurandum sit, exprimere necessarium non est.

XLVIII. Substitutus quoq; Procuratoris hoc juramentum subire potest, etiam quando substituens jam id præstitit. Ant. del Re Tiburt. *alleg. loco. n. 52. Græv. in concl. pract. concl. 88. consid. 1. n. 4. Obrecht. d. tract. c. 10. n. 44.* quem allegat & sequitur Umnius *in Process. Judic. D. 12. th. 8. n. 33.*

XLIX. De Procuratore Fisci dubitatur, An & illi de Calumnia jurare necesse sit? Equidem Obrecht. *d. tract. c. 6. n. 30. & seq.* putat, eum de Jure Civili hoc juramentum non præstare: Jure verò Canonico jurare eum cogi posse *ex c. 3. 4. & 6. Ext. de Juram. Cal. probat.* Nos tamen eum jure quoque Civili omninò jurare de Calumnia debere statuimus; cum nullibi reperiat, nominatim ei hoc remissum esse: per ea quæ tradit Lucas de Penna *in l. Justas. C. de jure Fisci. lib. 10. Gail. 1. obs. 90. n. 3. cū seq. Græv. 1. concl. 90. n. 2. & 3. & Dd. comm.*

L. Licet more & hodiernâ consuetudine hoc non servari tradat Andr. de Isernia. *§. in quibus. de Consuet. recti feudi.* quem Matth. de Afflictis ibidem sequitur. Unde etiam in Imperiali Camera hoc juramentum Fiscali remittitur: Cæ-

faris enim & Imperii nomine, ex generali mandato legis & constitutionis Imperii causas peragit & in iudicium deducit: non itaq; ob Majestatem mandantis gravari debet; ut habent verba Gailii *d. obs. n. 5.* ubi etiam hanc assignat rationem, quòd is calumniari non præsumatur, quem officii necessitas excusat. *l. 5. §. 13. ff. de his qua ut indig. Mynsing. cent. 1. observ. 74.* Rutg. Ruland. *de Commiss. p. 1. lib. 2. c. 14. n. 10.* Dn. Bocerus Præceptor honorandus *Class. 6. disp. 18. th. 14. lit. A. Colleg. Argent. lib. 3. tit. 6. th. 23.* Quam assertionem tribus modis declarat Græv. *in concl. præct. concl. 90. n. 6. & 7.*

L I. Procuratorem, ex officio datum, negat Gail. *1. obs. 88. n. 4.* & Obrecht. *d. tract. c. 6. n. 35.* Calumniæ juramentum præstare posse, nisi in quantum agatur de Processu citra Calumniam observando. Nos verò cum Græv. ab illis dissentimus. *1. concl. 88.*

L II. Tandem de Advocatis quæritur; Num & illi de Calumnia vitanda jurent? Sed eos neq; de jure Civili, neq; de jure Canonico ad subeundum hoc juramentum cogi posse, probabilius putamus: sequuti Obrechtum *d. tract. c. 6. n. 37. cum seqq.* ut ut pleriq; interpretum contrarium statuunt, prout videre est apud Ummium *in Process. Judic. Disp. 12. n. 33.* ubi tradit: Hodie hanc Controversiam inutilem esse, ex quo passim Advocati singulare præstant juramentum, se in singulis causis nihil præter æquum & bonum quæsituros: cujus formula extat in *part. 1. Ord. Cam. tit. 62. & 64.*

L III. Et hæc hæctenus de Personis, quæ Calumniæ juramentum exigere, & à quibus exigi illud ipsum possit. Sequitur nunc, ut Materiam, sive causas, in quibus hoc juramentum præstetur, paucis dispiciamus.

L IV. Ubi notandum Regulariter in omnibus causis Juramento huic locum esse, de quibus in Judicio agitur, *l. 1. l. 2. C. de Juram. Cal. Nov. 49. c. ult.* dummodò Calumniæ suspicio in eas cadere possit. Obrecht. *d. tract. c. 8. n. 5. & 6.* ubi non referre docet, sitne causa magna, vel exigua: item sitne ordinaria, an Delegata, vel compromissaria. Nam in
his

425.
his omnibus juramento huic locum esse, Imperator expressè statuit *in d.l.2. §.4. l.14. in pr. & §. patroni. in pr. C. de jud.*

LIV. Non etiam refert, an sit causa Principalis, an Accessoria seu incidens: Si enim in principali causa de Calumnia juratum est, hoc juramentum ad incidentem sive Accessoriam causam rectè porrigitur; si hæc illi cohæreat. Secus verò si sit Diversa: Tunc enim de Novo jusjurandum Calumniæ præstari debet. Obrecht. *d. c. 8. n. 8.*

LVI. De causis Secundarum Instantiarum, sive Appellationum quæritur; An & in illis Calumniæ Juramento locus sit, et si maximè id in primâ instantia sit præstitum? Sed omninò ei locum esse, cum Johanne Glos. *in gl. d.l.2. in pr. in verb. movisse. Specul. de Juram. Calum. §. 2. n. 3.* Sichardo *in auth. Sacramentum. n. 5. C. h. t.* & aliis credimus.

LVII. In genere verò notandum est in omnibus causis Juramentum hoc præstandum esse, quæ probationem requirunt. *l. 1. & ibi Sichard. n. 1. C. h. t.* Petrus Greg. Tholofs. *in Syntagm. Jur. Univers. lib. 48. c. 6. n. 3.*

LVIII. Hinc incidenter quæritur: utrum Doctores dum leges allegant, aut de jure aliquo disputant, de Calumnia jurare debeant? Nos cū Baldo *in d. l. 1. negamus: cū jura certa sint, neq; probationes desiderent. Umnius d. disp. 12. n. 42.*

LIX. A prædicta tamen Regula excipiuntur. I. Causæ Regum ac Principum; ob Majestatem enim & Dignitatem illorum, Juramentum Calumniæ in causis litigiosis ab illis non exigitur. Schrad. *de F. p. 10. sect. 3. n. 77.* Natta *Consil. 487. n. 47.* Mynsing. *1. Observ. 74. in fin.* Obrecht. *d. c. 8. n. 13.*

LX. II. Causæ Clericorum; Parentum & Patronorum. Item causæ inter Dominum & Vasalum, de quibus supra *th. 39. 40. & 41. dictum.* Ubi etiam Limitationes allatæ sunt.

LXI. De Spiritualibus Causis anxie inter Dd. quæritur; An & in illis Calumniæ Juramentum præstari debeat? Ubi sciendum est, Jure quidem Civili, illas nequaquam fuisse exceptas, quia Imperator Justinianus *in l. 1. & l. 2. C. h. t.* expressè sancivit, ut in omnibus causis & in omnibus litibus

hoc juramentum præstetur. Gl. Bart. & alii *d. l. 2.* Qui autem dicit omne, nihil excludit; & lex generaliter loquens, generaliter quoque est accipienda. Jure verò Canonico, ab Eugenio III. introductum est, ne in causis spiritualibus, & quæ annexæ illis sunt, de Calumnia juretur: sic enim inquit *in c. 2. Ext. de juram. Cal.* Tales (scil. Spirituales) causæ non ex legum districtione, sed ex Canonum æquitate finem debitum sortiuntur: Canones autem Juramentum Calumniæ in hujusmodi causis nulli prorsus inducunt. Quam Eugenii sententiam à Bernardo Glossatore *in d. l. 2.* vehementer exagitatam esse, refert Cujac. alleg. in loco. Contrà verò ingenuitatem in Bonifacio VIII. laudandam sanè esse, ait Rittershus. *ad Novell. p. 9. c. 19. n. 9.* quod contrarium circa res spirituales constituerit, *in c. 1. §. ult. h. t. in Sexto.* ut videlicet in illis non minùs, quàm in Civilibus & pecuniariis Calumniæ Juramentum præstetur, ad viam Calumniis præcludendam, quas in causis etiam spiritualibus frequentiores esse, tradit ibidem. Gravius autem periculum est, ait Gloss. *c. 2. ext. eod.* si calumniosè in spiritualibus quis litiget, & ideò fortius in hujusmodi spiritualibus jurandum, quàm in Civilibus; quia circa majora majus vertitur periculum, & ideò cautiùs est agendum. *c. quiescamus. 2. Distinct. 42.* & novis morbis, nova competit præparari antidota. *c. caterum. 5. de jur. Cal.*

LXII. Non minùs de Criminalibus quoque causis inter Dd. controvertitur; An & illæ à superscriptâ Regulâ excipiantur, sive, An & in illis Juramentum Calumniæ non præstetur. Quod voluit Wesen. *in parat. C. h. t. n. 7.* & Sichard. *ad l. 1. n. 6. & 7. C. d. t.* Verùm sciendum est, olim quidem, cùm Inscriptionis vinculum in usu esset, (quod teste Symmacho in Epistolis, hanc vim habebat, ut Accusatorem, qui objectum à se crimen non probavit, ad similitudinem pœnæ obligaret) Juramentum Calumniæ, ut non necessarium, non fuisse exactum. Hodiè verò quia illa Inscriptionis solennitas à foro nostro recessit, ab Accusatore Calumniæ

nia Juramentum præstandum esse, omninò arbitramur, per
*l. 1. in pr. ibi: in omnibus causis. C. h. t. c. 2. §. ult. ibi: in omnibus
 causis. de juram. Calum. in 6. Damhoud. in Prax. Crim. c. 28. n.
 3. & 4.* Licet hodiernâ praxi de Calumnia non juretur, ni-
 si id Adversarius petat: ut notat ex Follerio Julius Clarus
lib. 5. recept. sent. §. fin. q. 18. n. 3. ubi ostendit, hanc senten-
 tiam communiter receptam esse. Dn. Præceptor Bocerus.
Cl. 6. D. 18. th. 13. lit. F.

LXIII. Tandem quoq; excipitur Causa Notoria; ipsa e-
 nim Notorietas à Calumnia excusat; ut notat ex Baldo
 Gilmannus *rer. Judicat. lib. 2. decis. 11. n. 20.* ut & litigiosæ Pos-
 sessionis, quia subita causæ expeditio jusjurandum de Ca-
 lumnia non requirit. Gail. *1. observ. 6. n. 3.* Obrecht. *d. c. 8.
 n. 24.* Colleg. Argen. *lib. 3. tit. 6. th. 25.*

LXIV. Materiam sequitur Forma quæ in tribus potif-
 simùm consistit, ut nimirum Juramentum hoc exigatur
 atq; præstetur tempore, loco & modo idoneo.

LXV. **TEMPUS** quod attinet, sciendum est, olim tam
 antè, quàm post litem contestationem Juramentum Calu-
 mniæ exactum & præstitum fuisse, *l. 6. §. 2. ff. de Edendo. l. 44.
 §. qui familia. ff. familia hercisc. l. 1. C. h. t.* Imò in singulis judicii
 partibus peti & præstari potuisse: quoties scilicet Calum-
 nia vel fraus subesse putabatur, *l. 34. §. 4. ff. de Jurejur.* hinc
 speciale juramentum dictum putat Obrecht. *d. tract. c. 9. n.
 4.* Hodiè verò ex Constitutione Divi Imperatoris nostri,
 Partes statim ab initio litem hoc juramentum generaliter
 super tota causa subire tenentur, *l. 2. in pr. C. h. t. & Nov. 49.
 c. ult. §. 1.* Jure Pontificio, si ab initio non sit ita generaliter
 præstitum, in qualibet judicii parte postea juramento spe-
 ciali locus est, *c. 1. de Juram. Cal. in 6.*

LXVI. Ex quo colligitur, quòd ante litem contestatam
 hoc Juramentum non rectè exigatur; adeò ut si contra
 fiat, sententia postea lata non subsistat. Specul. *de Juram. Cal.
 §. 1. n. 3.* Obrecht. *d. c. 9. n. 8.* nisi id ipsum post litem contesta-
 tam fuerit repetitum; tum enim vitium Nullitatis tolli,
 notat

notat Ummius *d. Disp. 12. n. 47.* Si verò post litem contesta-
tam omittatur, amplius exigi non poterit, cum suo tempo-
re non sit petitum. *arg. l. 40. §. 3. ff. de Procurat.* Cynus & Si-
chard. *in d. l. 2. in pr. C. h. t.* Notat tamen Specul. *alleg. loco*
quosdam casus, in quibus ante litem contestatam de Calu-
mnia juretur, & de exceptione Dilatoriâ præcipuè hoc tra-
dit Gail. *lib. 1. Obs. 85. n. 1.*

LXVII Deniq; si generaliter super totâ causâ Juramen-
tum Calumniæ præstitum est, ad ejus repetitionem ulterius
non devenitur. *Nov. 49. c. ult. Cyn in Auth. hoc jusjurandum.*
C. h. t. Obrecht. d. c. 9. n. 10. & vulgò Dd. Rittershus. ad No-
vell. p. 9. c. 19. n. 14.

LXVIII. Commodè hîc quæri potest; An ante jura-
mentum Calumniæ præstitum, actionem eligere quis co-
gatur? Quod controversum invenio apud Speculatorem
de Juram. Cal. §. 1. n. 14. ubi respondet, quod eligere litigans
cogatur, si de facto certus sit: Aliàs secus.

LXIX. Quæritur etiam, si quis post Calumniæ Jura-
mentum Actionem mutaverit, an de Novo jurandum sit?
Quod affirmamus, quia nova actio est, & alia: in qualibet
autem actione jurandum est. *d. l. 2. in pr.* Præterea & in novâ
actione calumnia committi potest, *l. 13. §. 12. ff. de damno in-*
fect. Specul. *d. §. 2. n. 11.* quotiescunq; autem Calumnia subef-
se metuitur, toties de ea juratur, ut demonstratum supra.

LXX. Locus, in quo Juramentum Calumniæ exigi-
tur & præstatur, est Judicis Tribunal; Præstandum enim est
eoram Tribunali, seu in quo loco Judex judicare consue-
vit, & quidem in eo judicio, in quo de mota controversia
contenditur, *d. l. 2. in pr. ibi: Evangelij ante judicem positus &c.*
Obrecht. d. c. 9. n. 13.

LXXI. Ab hac tamen Regulâ excipiuntur quidam ob
Necessitatem: si nimirum litigantes morbo vel senectute
impediti, in judicio comparere non possint: Hoc enim ca-
su aliqui ex apparentibus cohortibus, unâ cum parte ad-
versâ ad eum, qui venire præpeditur, mittuntur, & illum
de Calumnia Jurantem audiunt. *l. 15. ff. de jurejur.*

LXXII. Qui-

427.
LXXVII. Quidam excipiuntur propter absentiam; sive enim Reus sit absens, sive Actor, & per Procuratorem agat, non in eo loco, in quo litem mota versatur, sed in Provincia, in qua degit, de Calumnia jurare tenetur, prout expressè cautum est *in d. l. 2. §. 3. & §. ult.* Modum autem, quo juramentum hoc ab illius Provinciae Magistratu, in qua Adversarius absens degit, peti debeat, præscriptum invenies apud Specul. *de Juram. Cal. §. 3. n. 11.*

LXXVIII. Quidam ob Sexus verecundiam: nec enim Mulier honesta in judicio Calumniae juramentum præstat, sed domi præsentem officiali, non item adversario, jurare tenetur: *d. l. 2. §. 1. Novel. 124. c. 1. vers. Si verò mulier.* Quod tamen in foro non semper frequentatur: nam interdum Mulieres in Judiciis comparere, & sic Calumniae juramentum præstare, notat Obrecht. *d. c. 9. n. 23.*

LXXIX. Tandem quibusdam ad Judicem venire non concedit Personæ Dignitas: Illi enim qui dignitatis alicujus præminentiam alios antecellunt, quales sunt Personæ Egregiæ; non in judicio, sed domi, parte adversâ, vel ejus Procuratore præsentem, Calumniae juramentum præstant, *d. l. 2. §. 1. Obrecht. d. c. 9. n. 19. ubi n. 20. ex Duareno asserit, Prudentis Judicis esse, ex cujuscunq; dignitate, amplitudine & existimatione æstimare, quæ Personæ pro egregiis sint habendæ.*

LXXX. Modus consistit in his, ut Primò Litigator juret: ubi sufficere putamus, si Juramenti formulam ab alio legi audiat: non verò necessarium esse, ut ipse ore suo proferat; contra quàm statuit Obrecht. *d. tract. c. 10. n. 3.*

LXXXI. Secundò, ut juret tactis Sacrosanctis Evangeliiis, *d. l. 2. in pr.* qui mos adhuc hodiè in quibusdam Germaniæ judiciis viget. Ubi itidem non multum referre putamus, utrum Evangelio, an Veteri testamento tacto juret, ut quidem Covarr. sensit. *ad c. 2. de pact. in 6. §. 1. n. 2.*

LXXXII. Hujus occasione quæritur: Si Judæus litiget cum Christiano, num & ipse tactis Evangeliiis jurare de-

beat? Quod dicendum videbatur, propter text. in l. 8. C. de
Judæis & Cælicol. Contrarium tamen verius esse putamus per
l. 5. §. pen. ff. de jurejur. Cùm enim Judæi non credant legem
Evangelicam, c. 3. Dist. 45. per tale juramentum, quidquid
voluerint, dicent. Incumbit itaq; Judici videre, ut Judæus
secundum suam legem juret, qua de re varias formulas in-
venies apud Speculat. de Juram. Cal. §. 3. n. 17.

LXXVIII. Capita sive articuli Juramenti Calumniæ
quinque à Dd. recensentur; quorum primum est, ut litigan-
tes jurent, se non Calumniæ causâ litem movisse, vel ad re-
luctandum venisse, sed quod credant se bonam causam fo-
vere, Daß Sie glauben/auch anderst nicht wissen oder ver-
stehen/Dann daß sie ein gerechte sacht haben. l. 2. post pr. C. h.
t. §. 1. vers. nam Reus. Inst. de pæn. tem. litig. Nov. 49. c. ult.

LXXIX. Secundum, quòd differendæ litis causâ nolint
ullam non necessariam dilationem petere, l. 1. C. h. t. Daß
sie kein vnothdürfftigen gefährlichen schub / die sacht damit
auffzuhalten / suchen noch begehren wollen. Tertium, quod
interrogati in Jure, verum nolint diffiteri, Gl. in c. 1. de Ju-
ram. Cal. in 6. Daß sie / so oft sie in Rechten gefragt werden/
die wahrheit auffrichtiglich sagen / vnd nit verhalten wollen.

LXXX. Quartum, quod nihil penitus patrocinii causâ
Judicibus, vel alii cuicunq; Personæ, nisi cui per leges licet,
pro hac causâ datum promissumve sit nihil quoq; datum,
promissumve iri vel per se, vel per intermediam Personã
&c. Auth. Principales. C. h. t. Daß sie niemandt anders/dann
dem jenigen / so das Recht zulasset / der sachen halben nichts
gegeben oder verheissen habē / auch furohin nichts verheissen
noch geben wollen/damit Sie die Brihel erhalten mögen.

LXXXI. Hisce quatuor articulis, qui in Ordinatione
Camerae continentur, p. 1. tit. 65. adicitur ex Nov. 49. c. ult.
quintus; nimirum litigantes jurare debere, quod nullâ
probatione aut allegatione falsâ uti velint. Daß sie sich in
der sacht keiner falschen zeugnuß oder beweisung gebrauchen
wollen. Vide Specul. de Juram. Cal. §. 4. in pr. Marant. in part.

6. spe-

6. speculi aurei, tit. de juramento. n. 10. Cujac. in d. Nov. 49. Obrecht. d. c. 10. n. 28. Vult. 2. I. R. 31. n. 59. qui hæc capitula hoc Tetrasticho comprehendit:

*Juro meam litem mihi fultam Jure videri,
Nec celaturum si qua rogatus ero,
Nec promissurum, neq; causa falsa levanda
Dicere, nec litem ducere velle meam.*
Vulgò Dd. sic reddunt.

*Illud juretur, quòd lis sibi justa videtur,
Et si quæretur, verum non inficietur,
Nil promittetur: nec falsa probatio detur,
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.*

Et hisce articulis nullos alios addi, nullos etiam debere detrahi, contra Obrechtum cum Ummio allegatis in locis statuimus.

LXXXII. Et quia suprà dictum est, Procuratores de Jure Canonico, ut & hodiernâ consuetudine, Calumniæ Juramentum subire; ideò constitutum est, ut & in suas & Dominorum animas jurent. c. 3. ext. de Juram. Cal. & c. ult. eod. in 6. & notant utrobiq; Canonistæ. Hinc quando Procuratoribus Juramenti hujus formula prælegitur, addi solent hæc verba: *Ihr werdet schweren einen Eyd zu GOTT in ewer Parthenen vnd ewer eigene Seel. d. p. ord. Cam. tit. 65.*

LXXXIII. Et hæc de Forma quoq; annotasse sufficiat: Reliquum nunc est, ut Finem & Effectum hujus juramenti breviter perstringamus.

LXXXIV. FINIS itaq; Juramenti Calumniæ est Salus & utilitas Publica. Nec enim hoc Juramentum pro comodo Privatorum, sed pro Communi utilitate est introductum, ut & lites & Calumniatores minuantur: in sacra-riis enim homines se sisti putabunt pro Judiciis. d. l. 2. §. 8. C. h. t. Colleg. Arg. de Calum. th. 31. Dum enim dicitur juramentum Calumniæ subaudiendum est verbum, vitandæ. c. in appellationis. vers. procuratores. de Jur. Cal. in 6. sicut etiam illud Apostoli. I. Cor. 7. v. 2. explicandum; propter scortationem (vitandam scilicet non committendam) unusquisq; suam

uxorem habeat. Ut item sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compescatur, *l. 1. in fin. pr. C. h. t. §. 1. & §. hac autem. Inst. de pæn. tem. litig.* Hinc non immeritò hoc jurandum maximum remedium dirimendarum & expediendarum litium ab eodem nostro Imperatore vocatur, *in d. l. 2. §. sic enim. & à Cajo. in l. 1. ff. de jurjur.* Summatim ut calumniosæ lites omittantur; partes probationibus exonerentur: causæ veritas manifestetur. Wesenb. *in comm. ad h. t. C. n. 10. in fin. Obrecht. d. tract. c. 11. n. 5. & n. 30. cum seqq.*

LXXXV. EFFECTUS duplex est, alius præstiti, alius non præstiti sive recusati juramenti. Effectus præstiti juramenti est, ut deinceps Calumniæ Juramentum cessare faciat, sive, ut quis excusetur à tacitâ & præsumptâ calumniâ: utraq; enim pars Calumniam evitare, & litem bonâ fide suscepisse præsumitur, Marant. *de Juram. n. 12. Menoch. 1. præsum. 85. n. ult. Wesenb. d. loco n. 11. Obrecht. d. tract. c. 12. n. 3.*

LXXXVI. Sed hîc quæritur: Si pejeratum sit, an perjurus præterquam quòd DEUM, τὸν καρδιογνώστην, habet ultorem, *l. 2. C. de reb. cred.* insuper de Jure Civili aliquâ poenâ sit afficiendus? Quod affirmamus, si apertè constet jurantē commisisse Calumniam: utiq; enim ἐκ προαίρεως sive ex proposito pejeravit, ut poenam nullo modò effugere possit. Quanquam enim Calumniæ juramentum hoc operetur, ut jurans à præsumptâ Calumnia excusetur, non tamen excusatur ab evidenti & expressâ. Alex. *in l. ait Prætor. 3. in princ. de Jurejur.* Barth. *in l. si quis. 7. §. si stellion. ff. ad SC. Turpil. & Bald. in l. si tibi. 23. C. de liber. caus.* Hinc varia poenæ perjurii genera in Jure Civili constituta sunt, ut est poena Fustigationis, *l. 16. C. ex quib. caus. major.* In familiæ, *l. 41. C. de Trans. act.* & solenne quandoq; fuisse, ut perjuris linguæ excinderentur, referunt ex Harmenopulo Wesenbecius & Obrechtus allegatis in locis. Hodie interdum duo digiti, quibus erectis pejerarunt, illis amputantur. *Peinliche Halsgerichts-Ordnung Caroli V. art. 107. 108. & 209.*

LXXXVII. An item jurans ratione præsumptæ Calumniæ libe-

liberetur à refusione Expenfarum, controversum est inter Dd. Affirmant Accurf. *ad Nov. 82. c. 10.* Alex. *in d. l. ait Prator. 3. in pr. n. 6 ff. de jurejur.* Bart. *ad l. 1. ad Scutum Turp. & vulgò Dd.* Verùm Negativæ nos subscribimus opinioni Jurantem nimirum nequaquam ab expensarum solutione relevari. Cur enim expensas nō refundat, qui temerè causam egisse convincitur. *l. 79. ff. de jud.* Et certè rarò aliquis in expensas condemnari posset, ex quo super calumnia semper jurandum est, inquit Umnius *in Process. Judic. Disp. 12. n. ult.* sequutus Salicet. *in l. 3. in fin. C. Qui accus. non poss.* Covarr. *q. 27. n. 1.* Obrecht. *d. c. 12. n. 12. & seqq.* & Dd. magis communiter.

LXXXVIII. Effectus non præstiti Juramenti alius est à parte Actoris, alius à parte Rei, alius deniq; à parte Procuratorum.

LXXXIX. Actor si de Calumnia jurare recuset, ab institutâ actione cadit, *d. l. 2. §. 6.* Reus verò pro Confesso habetur, *d. l. 2. §. 6. l. 37. ff. de jurejur. juncta Auth. Principalis. §. si quis autem. C. h. t. c. ult. in fin. Ext. eod. Græv. in Concl. Pract. concl. 87.* Ruland. *de Commiss. lib. 2. c. 14.* Colleg. Arg. *lib. 3. tit. 6. th. 32.* Marant. *d. loco. n. 6.*

XC. Hanc tamen pœnam non ipso jure committi, sed Declaratoriam Judicis sententiam ad eam requiriri, veritati magis consentaneum putamus, propter *d. l. 2. §. 6. C. h. t.* Gail *1. observ. 86. n. 1.* ubi in Camera hoc ipsum ita observari testatur. Vasq. *Controv. lib. 2. c. 25. n. 25.* Dn. Bocerus *Cl. 16. D. 18. n. 16. lit. A.* Obrecht. *d. tract. c. 12. n. 18.*

XCI. An hæc pœna contra jurantis heredem quoq; transeat, (si nimirum contumax ante sententiam decesserit) quæstionis est? Nos negamus *per l. 29. & ibi Bart. n. 1. ff. de jure Fisci.* refert & sequitur Vasq. *alleg. loco.* Gail. *d. observ. 86. n. 6. & 7.* Græv. *Pract. Concl. p. 1. concl. 86.* Obrecht. *d. loco. n. 22.* Bocerus *d. n. 16. lit. C.*

XCII. Quæritur etiam, si juramentum Calumniæ non vivâ voce, sed in Productis saltem scripto exactum, at ab altera parte litigantium, illud fortassis non animadverten-

te, præstitum non sit, an propterea hic poenâ non Jurantis sit afficiendus? Quod negatur: nec enim Dolus & malitia non jurantis hîc versatur, sed potiùs deferentis, quòd in loco non consueto tale juramentum ad decipiendum incautum Adversarium, & non apertè vivâ voce, statim post factam negativam litis contestationem exegerit. Hinc propria malitia ei patrocinari non debet, *l. 38. §. Constituimus. ff. de Rei Vind. Gail. 1. obs. 84. n. 7.* Et Græv. *Præct. Concl. p. 1. concl. 84. confid. 1. n. 1.* cautelam illam nostris usitatam (quâ in fine Producti incidenter Juramentum Calumniæ ab Adversario præstari petunt, postea verò subdolè tacent, non ulterius de præstatione instando) reiiciendam, imò homine Christiano indignam prorsus esse, judicat. Hoc insuper in *Recess. Deput. Spiræ de Anno 1600. §. Als auch Unserer vnd der Ständt / expressè sancitum est, ut si juramentum Calumniæ non vivâ voce exactum sit, à judice præteriri & possit & debeat.*

XCIII. Procurator deniq; si de Calumnia jurare recuset, ob hanc contumaciam, etsi ea Domino non noceat, Procuratori tamen audientiam denegandam esse, contra Anton. de Butrio, Socinum & alios statuimus, quod hæc sententia æquitati; aliorum verò opinio rigori juris magis conveniat, Salicet *in l. eum qui. n. 6. c. de Procurat. Gail. 1. obs. 89. n. 5. Bocerus d. loco. n. 15. lit. B. Obrecht. d. tract. c. 12. n. 23. Colleg. Arg. d. tit. th. 32.*

XCIV. Ad finia Calumniæ Juramenti sunt, I. Cautio de decima parte litis, reo præstandâ, si Actorem succumbere contingat, quæ olim quidem usitata, *§. 1. vers. hac autem. Inst. de pæn. tem. litig. l. 2. §. pen. vers. antiqua. C. h. t.* Jure verò Codicis abrogata *d. l. 2. §. pen.* & tandem Jure Novellarum iterum introducta fuit, ut constat ex *Nov. 112. de litig. c. ad excludendas. 2. Nov. 69. c. 1. Cujac. 7. observ. 5.*

XCv. II. Juramentum Veritatis, *c. 1. in pr. & §. ult. c. 2. eod. in 6. c. 54.* ubi *Gl. verb. de Veritate. Ext. de elect.* III. Juramentum Malitiæ, *Bosheit zu vermeiden / quod in omnibus litis*

450.

litis partibus, etiam post præstitum Calumniæ Juramentum, Judex, prout opus videbitur, exigere potest, *d. c. 2. §. ult. in 6. Schneid. in comment. ad Inst. de pæn. tem. lit. ad §. 1. §. item actionis cum seq. n. 12. Wesenb. in π. C. h. t. n. 12.* Est tamen hoc loco non omittendum, Juri Civili tantum jusjurandum Calumniæ notum esse, nec ab eo separari juramentum malitiæ & de Veritate dicendâ; Jus Canonicum demùm tria distincta genera fecit; quod optimâ ratione factum, defendit Cujac. *in Recitat. Decret. ad c. pen. ext. de juram. Cal. & ad c. ex literis 32. ext. de jurejur. Cunr. Rittershus. de Diff. Jur. Civil. & Can. lib. 5. cap. 18.*

XCVI. IV. Ad fine quoq; est juramentum, quod vocant Respondendorum, auff articul zuantworten / de quo *in c. 2. ext. de Testib. in 6. Gail. 1. observ. 79. n. ult. & obs. 82.* Quod itidem exigere potest, etiam si Calumniæ Juramentum jam præstitum sit, propter text. generalem in *d. c. 2. de testib. in 6. Dn. Bocerus Cl. 6. D. 18. th. 23.*

XCVII. Contraria huic Juramento est Remissio litigantium. ubi notandum Jure quidem Civili Generale Calumniæ Juramentum neq; expressè, neq; tacitè à litigantibus invicem remitti potuisse, *l. 2. §. sed quia veremur. 4. & ibi Bart. C. h. t. adeò, ut si omissum & à Judice non exactum sit, sententia ipso jure nulla extiterit, l. 4. C. de sent. & interloc. omn. jud. & notat Donellus lib. 24. Comm. c. 3. circ. fin. Speciale verò tantùm remitti potuisse, vult Forner. *select. lib. 2. c. 4.**

XCVIII. Jure autem Canonico tacitè à partibus omitti potest, ita ut propterea Judicialis Processus, aliàs legitimè factus, non efficiatur nullus, *c. 1. §. 1. in verb. omissam. eod. in 6. Marant. de ord. Jud. part. 6. tit. de juram. n. 2. Bocerus d. D. 18. th. 12.*

XCIX. Expressè verò remitti à partibus non potest, proindeq; exactum in exordio litis, sed non præstitum, vitiat Processum: Tunc enim de ipsius substantiâ esse censetur, *Vant. de Nullit. p. 633. n. 29. Videatur Gail. 1. obs. 84. Græv. lib. 1. Pract. Concl. concl. 84. n. 4. Obrecht. d. tract. c. 11. n. 16.*
& qui

& qui pluribus hanc quæstionem deducit Vasquius *lib. 2. Controv. c. 25. n. 22.* & asserit Obrecht. *alleg. loco. n. 18.* hodiè in plerisq; Germaniæ judiciis, Jus Canonicum hoc casu observari, Tacitè enim, at non expressè jusjurandum Calumniæ remitti posse, nec per hoc Judiciale Processum vitari.

C. Hic non inutiliter annectitur & illa quæstio: An Juramentum Calumniæ consuetudine remitti possit? Et respondemus, neq; de Civili, neq; de Canonico Jure remitti posse. Utrobiq; enim expressè cautum est, ne consuetudine remittatur. Et de jure quidem Civili textus est in sæpius allegatâ, *l. 2. §. sed quia veremur. 4. C. h. t. de Jure verò Canonico in c. caterum. 5. h. t. & c. constitutus 3. ext. de Fidejuss.* Usu tamen hoc non servari, testatur Schneidev. *ad §. 1. Inst. de pæn. tem. litig. n. 13.* qui de Saxonum moribus hoc specialiter tradit, ut & Georg. Schulz *in Synopsi Instit. d. t. lit. A.* Hodiernâ quoq; consuetudine hoc Juramentum remitti, ait Gail. *lib. 1. observ. 85. n. 5.* idq; non sine ratione, cum multa perjury eâ vitentur, quod etiam tradit Obrecht. *d. c. 11. n. 22.* & notat Socinus, *in c. caterum. de Juram. Cal. n. 8.* talem consuetudinem, ob hominum perversitatem valere posse; eò quod litigatores nostri temporis potius jurent de Calumnia committendâ, quàm vitandâ. Marant. *d. part. 6. tit. de juram. n. 11.*

Et hæc de frequentissimâ hâc & utilissimâ Juramenti Calumniæ materiâ, rudi, quod ajunt, penicillo, & breviter quantum firei potuit, delineasse sufficiat: D E O O P T.

M A X. inexhaustæ bonitatis fonti, pro juramine, conatui meo clementer præstito, immortales ago gratias.

F I N I S.

TRASSBURG, Diss., A627-23

ULB Halle 3
004 527 275




56

VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

41 417.

RIA
IDICARUM
am 1629/2

MEN-
MNI AE
ENS: XXX

ANNUENTE
io
ltissimi Viri,
HII, U. J. D. EXI-
ARGENTORATEN-
CIS FEUDALIUQUE
Facultatis Senioris, p. t. De-
ni sui, ætatem co-
di:
sitioni subijcit
gufti.
ris consuetis.
us Augustanus.
RATI.
STIANI GLASERI,
graphi.
DC. XXIX.

3

7-29

